

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

XLIV. Qualiter se anima in paupertate spirituali hortatur.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

terris parva omnino initia captans, in cœlis finem nec limites inveniet. Septimum, vix verbis perstringi, verum per fidem apprehendi potest quam magnum, quam altum, quam largum, quam deliciosum, quam nobile, quam lætum, quam opulentum ! Beatus qui cum ipso æternaliter manebit ! Aspectus jucundus omnis voluptatis plenus, sanctaque fruitio juxta votum omne, mirum in modum multiplices, et absque termino semper augustiores erunt, quia a viventi Deo profluent. Suavitas in desiderio, in fame deliciæ, in amore plenitudo, magis ac magis in animas defluent ex superabundantia Dei, suavissimam tamen retinebunt animæ suam famem, et sine molestia vivet.

XLVI. QUALITER SE ANIMA IN PAUPERTATE SPIRITUALI HORTATUR.

Hic se anima in spirituali paupertate constituta hortatur, et in æterno amore ad Deum, et in irrequieto ardore ad ipsum, in suo discessu, atque ita loquitur : Ecce decrevit longa expectatio, (hoc est appropinquat) tempus futurum in quo Deus et anima ita uniti erunt ut nunquam separentur. Hæc quoties recogito, exultat cor meum præ gaudio. Eia dilecte Domine, quantum nunc siles ! Te semper in mente habeo, tu vero tamdiu me fugisti ; verum in æternum sit tua laudatio, quod tua voluntas, non autem mea sit facta. Nunc me conservare volo in tuis verbis quæ in christianitate audi cum diceres : Ego diligentes me diligo. Ad eum veniemus, Pater meus et ego, et mansionem apud eum faciemus. Mihi ergo bene est, dilecte Domine, ex tua dulci misericordia, quam utique denegare potes. Tunc dixit Dominus : Cum tempus advenerit, in quo tibi dare volo dona cœlestia a me reservata et collecta, tunc multum velox ero ; nam ex æternitate mea intus multa potuerunt asservari. Sed (nunc) volo animam magis dilatari, et ex illa sanguinea (?) terra elevare, quia nihil antiquius mihi fieri potest. Æternus amor ad Deum manet in anima, transitorius vero amor rerum terrenarum in carne habitat ; super autem quinque sensus tantam vim habent ut ad quodcumque elegerint, vertere se valeant.